



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 26. An liceat hæreticos sepelire in loco Sacro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

tronus Catholicus, ob jus, quod habet, præsentet & eligi velit unum Parochum hæreticum præ alio pejori, ubi hæreticus præsentari & eligi debet, nam præsentat illum ad actus, quos ex voluntate saltem præsumpta Ecclesiæ potest exercere: quòd si ipse postea velit sine titulo reditus ecclesiasticos sibi retinere, aut exercere ministerium suum ritu hæretico, ad hoc permissivè se habet Patronus, qui solum intendit impedire majus malum, neque intendit malum simpliciter, sed præeligit minus, prout est impeditivum majoris; Denique ipsius voluntas non deservit neque subordinata est voluntati alicujus alterius intendentis malum, uti fiebat in casu n. 108.

810 *Q. 26. An liceat hæreticos sepelire in loco sacro. R.*

§. 1. Si quis hæreticus ante mortem dederit manifesta signa conversionis, quamvis ab hæresi absolutus non sit, potest in loco sacro sepeliri, ita *Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 4. n. 9.*, ubi dicit ad vitandum scandalum prius esse admonendum Episcopum.

811 §. 2. In quibusdam Germaniæ locis ex longa consuetudine permittitur, ut notoriè hæretici in locis sacris sepeliantur à suis Ministris, ita post *Laym. & alios Lugo d. 14. n. 159.*, docens cum *Nav. Verj. & aliis*, Ecclesiam etiam non violari per sepulturam ullius hæretici, nisi fuerit nominatim denunciatus vel publicus percussor Clerici. Addit *Lugo n. 160.* Si Ministri hæretici publicâ authoritate usurpent sibi jus sepeliendi etiam Catholicos, non licere cooperari, sed posse permitti, quod impediri non potest.

812 §. 3. *Verj. t. 4. a. 9.* universaliter docet, per Jus canonicum, etiam præscindendo à consuetudine,

ne, non excludi à sepultura in loco sacro, nisi hæreticos nominatim excommunicatos, sed, uti notavit Laym., observanda est consuetudo locorum; nullo modo tamen debet Sacerdos Catholicus ad ejusmodi sepulturam concurrere more catholico, adhibendo ceremonias Ecclesiæ, sic enim profiteretur fuisse ovem suam, & ex judicio Ecclesiæ dignum esse ejusmodi favoribus, suffragiis, orationibus, quod falsum est, & esset causativum scandali gravis in populo Catholico.

Q. 27. *An in locis, ubi adhuc viget vetus calendarium, licitum sit festa & jejunia secundum illud observare.* R. Less. V. *festa Ecclesiæ*, cas. 7: putat, si novum calendarium ibi fuerit receptum & lapsu temporis comprobatum, non licere sequi vetus, quia hæretici non possunt legem Ecclesiæ, maxime usu receptam, abrogare, ergo Catholici, nisi adfit gravis causa excusans, tenebuntur sua festa & jejunia celebrare secundum novum. His contradicit *Veri. a. 21.*, docens posse se conformare stylo locorum, in quibus sunt, idque esse conveniens ad vitandas plurimas confusiones, quæ ex illa difformitate orirentur; neque hoc est contra mentem Ecclesiæ, quæ novit ita fieri & non contradicit.

Q. 28. *An sit obligatio denunciandi hæreticos for- 114*
miales. R. Hoc resolvitur n. 215.

Q. 29. *Quis possit absolvere ab hæresi.* R. Hoc dic- 115
cetur de pœni., quando agitur de casibus refer-
vatis.

De libris hæreticis dicemus l. 7., quando de
excommunicatione.